

3063

C O D I C E S

3064

mus. Interim eas non unius otiosi capitis inventum, sed pluribus ita notas fuisse, ut eas currente calamo exararent, diversa *Codicis*

manus probat. Visum itaque fuit duplex earum *Alphabetum* aeri incisum hic Lectorum oculis obijcere.



DCCCXLV.

948 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 219. in f. caractere, quem *missalem* vocant, aterrimo pulcre exaratus hoc Rubro est: *Incipit ordo Euangeliorum per circulum totius anni secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae.* Lektionaria ejusmodi sub initia Typographiae variis linguis passim imprimebantur, et reapse ad primum hujus *Codicis* intuitum haerere possit aliquis, impressumque credere, nisi curatius examen, et maxime lineae ab Scriptoribus duci solitae, quae utique ab impressis absunt, contrarium docerent. Interim tamen litera I. a qua plurima incipiunt Evangelia (*In illo tempore*) multis locis omissa, quibusdam penicillo adpieta, plurimis tamen Sigillo florulento chal-

cographico triplicis quidem formae impressa est, unde de *Codicis* aetate statui potest. Continet ille *Evangelia* primum, ut dici amant, *de Tempore*, initio sumto a *Dominica I. Adventus*, dein de *Festis propriis Sanctorum*, demum de eorum *Communi*. Folia quatuor, puta *Frons Codicis*, *Evangelia* item de *Nativitate* et *Paschate Domini* picturas praeferunt non admodum laudabiles. Librum inter *κειμηλια* quondam *Austriaci* cujusdam Principis fuisse, suadet *Theca*, anterior quidem Sigillis quinque argenteis deauratis *Agnum paschalem* cum IV. *Evangelistis*, posterior totidem Insigne *Austriacum* cum *Scutis Provinciae Austriacae sup. Styriae, Carinthiae et Carnioliae* affabre factis referens.

DCCCXLVI.